

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 103. Joanna Regni Neapolitani hæres.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](#)

corum aliqui addunt, illam a Florentinis, Sæcul. XV.  
quibus hujus Principis fides atque since- A. C. 1414.  
ritas semper suspecta esset, auro fuisse  
corruptam. Ladislaus incognito hoc  
morbo se pressum fentiens, ingravescente  
indies malo Romam delatus, inde mari-  
timo itinere Neapolim transvehitur, ubi  
etiam paulopost die sexta Aprilis in flo-  
re ætatis suæ, atque in medio secundæ  
fortunæ cursu vitæ suæ stadium absol-  
vit, nonnisi quadragesimo ætatis, vigesimo  
autem quarto Regni sui anno.

### §. CIII.

#### *Joanna Regni Neapolitani hæres.*

Igitur Ladislao sine prole defuncto, Prin-  
ceps Joanna, alias dicta Joannella e-  
jusdem Soror, & Guilielmi Austriaci vi-  
dua, tum annos quadraginta quatuor na-  
ta Regina salutatur, quæ tamen Regimi-  
nis sui gloriam non levibus obscurabat  
maculis, cum vitæ licentia fratrem suum  
omnino excederet, quo factum, ut Arra-  
gonenses Neapolis Regnum vi occupa-  
rent. Proceres Regni Joannæ intempe-  
rantii modum posituri, eam ad nuptias  
cum Jacobo Borbonio, Marchiæ Comite,  
ex regia Franciæ prosapia orto ineundas  
compellunt; Hic vero arrogantiam, ac  
corruptos conjugis mores ulterius ferre  
impotens, in Gallias se recepit, ubi paulo-

B b 2 post

**Sæcul. XV.** post in Conventu Vesuntino in Burgun.  
**A.C. 1414.** diæ Comitatu S. Francisci habitum in-  
 duit.

## §. CIV.

*Dubia mens Joannis Papæ.*

**Bzov. an.** Ingenti equidem gaudio Ladislai fatum  
**1413. n. 29.** Pontificem repleverat, attamen id ipsum  
 ejus animum inextricabili perplexitatum  
 labyrintho involvit; dubius enim hære-  
 bat, qnid de futura Synodo decerneret?  
 Flagrabat desiderio redeundi Roman,  
 civibus ejus adventum communi voto  
 præstolantibus, nihilque magis exoptan-  
 tibus, quam Papæ præsentiam ejusque  
 præsidium, ut tandem Neapolitanorum  
 jugo exonerarentur; ipse quoque hac via  
 suum solium firmatum iri, omnesque Ec-  
 clesiasticas ditiones hucusque a Ladislao  
 usurpatas se recuperaturum sperabat.  
 Nec deerant ejus Consanguinei, atque A-  
 mici, qui hoc idem Pontifici consulebant,  
 summoque studio dissuadebant, ne ad Ur-  
 bem transalpinam atque Imperatori sub-  
 ditam accedens, auctoritatem suam dis-  
 crimini exponeret. Nec vano etiam au-  
 gurio præsagiebant, fieri posse, & re-  
 ipsa sic factum eventus docuit, ut ad Sy-  
 nodum velut Papa veniret, inde vero ut pri-  
 vatus rediret Clericus. Ex altera vero  
 parte, cum haud amplius Ladislai violen-  
 tias

**Reichental**  
**cap. 8. § 9.**